

(1266) 1267, març, 20

Sentència arbitral de fra Ramon de Tallada, comanador del Temple de Castelló, en causa entre l'abadessa de Sant Daniel i Maria Cavaller, de Vilamalla, sobre una era situada en aquest lloc.

ASD, núm. 196, carta partida, 262 x 185 mm. Còpia: Llibre 21, núm. 123, p. 121.

Super questione que uertebatur inter dominam abbatissam Sancti Danielis Gerunde agentem ex una parte, et Mariam Caualleriam et filium suum Càstilionem de Uilalmala ex altera deffidentes, super quadam area et adiacenciis suis et quibusdam hedificiis in eadem area per dictam Mariam Caualleriam et suos predecessores ibi factis compromiserunt dicta domina abbatissa et Maria Caualleria et filius suus Castilion sub pena .L. solidorum maig. in manu et potestate fratris Raimundi de Talliata comendatoris milicie Templi Castilionis pro quo predicta area et domus que ibi sunt tenentur. Et dictus comendator, audita demanda predicte domine abbatisse et deffensione predicte Marie Cauallerie et Castilionis filii sui, receptis testibus et conuocatis probis hominibus de Uilalmala, pro bono pacis et sub pena promissa dixit et amicabiliter componendo diffiniuit quod predicta Maria Caualleria et filius suus diruerent et demolirent quasdam parietes quas fecerant de nouo in dicta area et diruerent etiam quandam parietem quam fecerant a parte orientis infra dictam aream et ortum suum et mutarent predictam parietem intus in ortum a quarteria Petri Ferrarrii usque ad carrariam publicam, secundum quod determinatur illa domus Petri Ferrarrii que est in capite aree, et quod fieret paries inter dictum ortum et dictam aream a dicta quarteria supradicta usque ad uiam publicam que inde transit, uersus orientem, et quod sic dicta domina abbatissa et eius successores haberent, tenerent et possiderent predictam aream ad suum seruicium et suorum omni tempore pacifice et quiete, sine impedimento alicuius persone, hoc tamen saluo et retento quod predicta Maria Caualleria et sui successores possint in dicta area excutere et tritare et mundare bladum suum et possint intrare et exire libere in mansuni suum cum sua familia et bestiario et rebus suis, secundum quod hactenus consueuerunt, sine dampno et detimento predicte domine abbatisse et suorum successorum. Et sic seruetur inter predictam dominam abbatissam et dictam Mariam quod in dicta area nemo possit facere fenoril nec aliud ponere uel retinere propter quod predicta area impediretur tempore messium, nisi paleas et stipulas et ligna in hyeme, ita tamen quod nemo possit ad alterius parietes ibi ponere uel iungere aliquid de predictis, set dicta domina abbatissa possit facere femoril subtus aream uersus orientem prope uiam publicam que ibi transit. Affrontat autem predicta area ab oriente in uia publica que inde transit, a meridie in area Marie Dalgema, ab accidente in domo Petri Ferrarrii, et in domibus et porta Marie Cauallerie, ab occidente in domibus predicte abbatisse, quas domos cum area pro domo milicie Templi Castilionis tenentur, et facit domina abbatissa inde pro censu predicte cauallerie unam migreriam tritici uendibilem ad mensuram

Castilionis tempore iunii ad adiutorium census quem faci t domino comenda tori milicie
Castilionis, et unum par gallinarum in festo Natalis Domini annuatim.

Actum est hoc .XIII. kalendas aprilis anno Domini .MCCLX. sexto.

Sig+num Marie Cauallerie, sig+num Castilionis filius eius, qui hoc pariter firmamus et
laudamus firmarique rogamus. Sig+num Iohannis Pagesii, sig+num Raimundi de
Fontecooperta, sig+num Guilielmi, clerici Uilalmale, sig+num Raimundi de Tegula,
sig+num Guilielmi Puials, huius rei testes. Sig+num fratrī Raimundi de Taliata,
preceptoris domus milicie Castilionis.

(s. man.) Signum Raimundi Todoni ebdomedarii et scriptoris de Basilia qui hoc scripsit,
die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-
1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 409-411